

HISTORIA DIPLOMATICA  
**FRIDERICI SECUNDI**

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT  
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPANUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT  
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNUS EX ACADEMIÆ INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS II.

PARS I.

---

---

PARISIIS

EXCUDERANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

injuriam persolvatur. Ut hec autem rata et firma permaneant presens inde privilegium fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Hujus rei testes sunt Ulricus Pataviensis episcopus, Henricus (a) Mantuanus episcopus, Stephanus Cassinensis abbas, Diopuldus marchio de Hohenburc, Wilielmus marchio Montisferrati, comes Evirhardus de Helfinstein, Anselmus marscalcus de Justingen, Wer[n]herus dapifer de Bonlanda, Conrradus camerarius de Verda et alii quamplures

Signum domini Friderici secundi gloriosi Romanorū imperatoris, semper augusti et regis Sicilie (*monogramma*).

Ego Conrradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus vice domini Eggiberti Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducesimo vigesimo, mense decembri, indictione nona, regnante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo et in Sicilia vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Datum in castris prope Narniam, anno, mense, indictione prescriptis.

In castris prope  
Narniam,  
decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, Albericum Sassenatensem episcopum et ecclesiam cum omnibus eorum possessionibus sub speciali protectione sua recipit, illumque corporaliter investit, praeicipiens ut scripta a quadraginta annis facta quae in damnum hujus ecclesiae venire possent, nullum robur habeant.

(Edit. UGHELLI, *Ital. sacr.*, t. II, p. 658.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter

(a) In impresso *Vuilielmus*, male.

cetera charitatis opera illa potissima reputamus que ecclesiis Dei et locis ipsi dicatis Domino inspirante largimur. Eapropter notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris quod nos attendentes devotionem quam tu, Alberice, venerabilis Sassenatensis episcopo fidelis noster, ad excellentiam nostram geris, intuitu Dei et pro remedio anime nostre ac divorum augustorum parentum nostrorum felicis memorie, te et ecclesiam tuam cum hominibus, castris tam de donicatis quam locatis, possessionibus, villis, foris, curtibus et pertinentiis suis et omnibus aliis rebus suis que nunc juste habet ecclesia tua vel in antea justo acquisitionis titulo poterit adipisci, sub speciali protectione ac defensione nostre recipimus majestatis, et recepto a te fidelitatis juramento de predictis omnibus te in nostra presentia constitutum corporaliter investimus et certa scientia de speciali gratia nostra predicta omnia, sicut in ecclesie tue privilegiis continetur, tibi tuisque successoribus concedimus et perpetuo confirmamus. Volumus etiam et precipimus ut omnia scripta de predictis facta a quadraginta annis infra que in damnum ecclesie tue venire videntur, robur non habeant firmitatis; mandantes et firmiter precipientes ut nullus sit qui contra hujus nostre protectionis, commissionis et confirmationis privilegium aliquatenus venire presumat. Quod qui presumpserit de sue temeritatis ausu centum libras auri puri componat, [quarum] medietatem camere nostre, reliquam vero partem passis injuriam pro pena solvat. Ad quorum memoriam et perpetuam firmitatem presens privilegium inde fieri et bulla aurea typario (a) majestatis nostre impressa (b) jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Ulricus Pataviensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Bertholdus Brixianensis episcopus, Walterus de Palearia Catanensis episcopus et regni Sicilie cancellarius, Stephanus abbas montis Casinensis, Guidus marchio Montisferetri (4), Azo marchio Estensis,

(a) In impresso *imperio*, male.

(b) Ibidem *impressione*, male.

---

(4) Mendosum locum valde suspicamus, pro *Guilelmus marchio Montisferrati*.

Anselmus de Justingen marescalcus, Wernerus dapifer de Bolandia et alii quamplures.

Ego Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Engelberti Dei gratia Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M.CC.XX, mense decembris, indictione IX, regnante Federico II Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno regni ejus in Germania VIII, imperii vero I, regni autem Sicilie XXIII, feliciter. Amen.

Datum in castris prope Narniam, mense, die, indictione predictis.

In castello  
episcopatus  
Sabinensis,  
3 decembris

Fridericus, Romanorum imperator, Albertum, Matteum et Thebaldum de monte Acuto pro gratis eorum servitiis cum bonis et possessionibus eorundem in specialem suam protectionem recipit, pluraque addit privilegia scilicet de armannis et Lombardis, de immunitate dationis, de foro in Castilione tenendo, etc.

(Edider. GAMURRINI, *Hist. genealog. fam. Tusc.*, t. I, p. 219 et 221, ubi reperitur inclusum in privilegio quodam Caroli IV, dat. Senis, ann. 1355, indict. 7, 5 non. maii.—LAMI, *Monum. S. Eccles. Flor.*, t. I, p. 472.)

Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperialis munificentie opera circa subiectos benevola et maxime circa illos qui fideles per experientiam comprobantur extendi solet ad munera, ut qui fuerunt fideles in opere, eorum fides appareat in muneribus gratiosa. Inde est quod nos attendentes fidem et devotionem et grata servitia que Albertus, Matteus et Thebaldus de Monteacuto et eorum predecessores majestati nostre et nostris antecessoribus prestiterunt et poterunt in antea exhibere, ideo eos et eorum possessiones et bona et homines et universa que ad ipsos pertinent in spe-